



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Disp. VII. De Ideis Divinis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

ius, & AUXILIO SIBI DATO NON UTENS. A

142 Propositio III. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

D. Thomas qu. 6. de malo, quæ est de electione humana: Respondeo dicendum, quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate moveatur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogereetur; non enim omne necessarium est violentum &c. Hac autem opinio EST HÆRETICA, TOLLIT ENIM RATIONEM MERITI ET DEMERITI, in humanis actibus; non enim videtur esse meritum, vel demeritum, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Quod nihil clarius & expressius dici potest.

143 Propositio IV. Semipelagiani admittebant preventis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

D. Thomas quodlib. 1. art. 7. ad 2. Deus movet omnia secundum modum eorum, & ideo divina motio à quibusdam participatur, cuius necessitate, à natura rationali cum libertate, propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita; & ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod POTEST HUIC MOTIONI RESISTERE.

144 Propositio V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem sudisse.

D. Thomas 1. ad Timoth. 2. lect. 1. Christus Iesus est mediator Dei & hominum, NON QUORUNDAM, sed inter Deum & OMNES HOMINES, & hoc non esset, nisi vellet omnes salvare. Nam voluntas Dei circa hominum salutem, & voluntas Christi mortem suam offerentis, & per eam media ad salutem sufficientia omnibus præparatis, sunt parallelæ, & sibi mutuo correspondent. Unde idem S. Doctor super caput 1. ejusdem Epistolæ, lect. 1. ait quod per illam voluntatem Deus omnibus proposuit salutis præcepta, consilia, & remedia. Et in 1. dist. 46. qu. 1. art. 1. huius voluntatis effectus, est ipse ordo in finem salutis, & promoventia in finem, tam naturalia, quam gratuita. Et super cap. 12. Epistolæ ad Hebræos lect. 3. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ideo gratia nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat. Similiter 3. contra Gentes cap. 159. Deus quantum in se est, paratus est omnibus dare gratiam, vult enim omnes homines salvos fieri.

DISPUTATIO VII.

De Ideis Divinis.

Ad questionem 15. D. Thomæ.

Postquam D. Thomas latè differuit de scientia Dei, breviter discurrit circa divinas ideas: id est circa exemplaria creaturarum, quæ intellectus divinus intra se habet, quæ pertinent ad ejus scientiam practicam. Cui etiam ordini inhærentes, post tractatum de scientia Dei, agimus in hac ultima disputatione, de ideis in mente divina existentibus, de quibus quatuor tantum discutienda occurrunt. Primum est, an sint ideæ in mente divina? Secundum, quid

illæ sint, & per quid formaliter in ratione ideæ constituantur? Tertium, an idea in Deo sit unica vel multiplex? Quartum, an Deus habeat ideas omnium creaturarum? Circa primum & secundum fit

ARTICULUS I.

An & quid sint idea in mente divina existentes?

§. I.

Quibusdam præmissis, referuntur sententia.

Notandum primò, Ideam sic rectè definitur, Idea est forma obiecta intellectui, intra ipsum existens, ad quæm afficiens artifex operatur. Explicatur breviter hæc definitio. Idea forma appellatur: nam teste D. Augustino lib. 83. quæstionum, quæst. 46. & D. Thomæ hic art. 1. & quæst. 3. de veritate art. 1. idea græcè, latine forma dicitur, obiecta intellectui, ad differentiam habituum, & specierum intelligibilium, quæ non habent rationem obiecti intellectus, sed principii intellectiois. Intra ipsum existens, ad differentiam externorum exemplarium, ad quæ artifex respicit in suis operationibus. Denique additur, ad quæ afficiens artifex operatur, ad differentiam formarum naturalium: non enim dicimus, quod forma hominis generantis sit idea vel exemplar hominis generantis, inquit D. Thomas de verit. quæst. 3. art. 1. Nam licet agentia naturalia producant effectus sibi similes in forma, non tamen operantur respiciendo illam. Pro cuius majori evidentiâ,

Notandum secundò ex eodem D. Thomæ qu. 3. de veritate art. 1. Triplicem posse dari formam alicujus: unam quæ dicitur forma ex qua: aliam quæ vocatur forma qua; & alteram quæ forma ad quam denominatur. Forma ex qua est illa quæ intrinsecè totum componit, & ex qua compositum constituitur. Forma à qua illa est, à qua ut ab agentis principio effectus egreditur. Forma vero ad quam illa dicitur, ad cuius similitudinem effectus producitur, & ad quam respiciens artifex operatur; & hæc est forma exemplaris, ad cuius similitudinem aliquid constituitur, & in hac significatione consuetum est nomen ideæ accipi, ut idem sit quod forma quam aliquid imitatur. Sed

Notandum tertio, Aliquid posse imitari formam aliquam dupliciter, ut ibidem notat S. Doctor. Uno modo ex intentione agentis; licet pictura ad hoc fit a pictore, ut imitetur aliquæ cuius figura depingitur. Aliquando autè prædicta imitatio per accidens est, ac præter intentionem, & à casu; sicut frequenter pictores faciunt imaginem alicujus, quem repræsentare non intendunt. Quod autem imitatur aliquam formam à casu, non dicitur ad illam formari; quia ly ad videtur importare ordinem ad finem; unde cum forma exemplaris, vel idea, sit ad quam formatur aliquid, oportet quod formam exemplarem, vel ideam, aliquid imitetur per se, non per accidens. Si ergo aliquid fiat ad imitationem alterius, per agens quod non determinet sibi finem, non ex hoc forma imitata habebit rationem exemplaris vel ideæ. Quare aliqui sic illam definiunt: Idea est forma quam aliquid imitatur, ex

intentione agentis determinanti sibi finem.

Ex quo inferes cum D. Thoma loco citato, quod illi qui ponunt omnia accedere calu, non poterant ponere ideas: sicut nec illi, qui posuerunt quod omnia procedunt ex necessitate naturae, quia ut ipse ait ibidem, ea quae ex necessitate naturae agunt, non praedeterminant sibi finem, sed determinatur eis finis ab aliquo superiore.

Ex quo rursus inferes cum eodem sancto Doctore ibidem, quod radix & fundamentum ponendi praedefinitiones, praedeterminativas omnium rerum quae a providentia & arte divina diriguntur & fiunt. Et idem ibidem notat, quod

divinus Dionysius cap. 5 de divinis nominibus, dicitur comminari in Theologia praedefinitiones divinas, & non determinatas, existentium praedeterminativas, & essentiam, seu in qua super substantialis essentia omnium praesupponit & producit. Ratio autem huius connexionis est, quia cum omnia dependentur, & procedunt a Deo ut supremo artifice, consequenter debent causari ab idea & exemplari divino, tanquam ab eo quod Deus inspicit, ut res producat: Ergo prius debet intendere, & apud deum finire, & statueri determinate, quomodo ali-

quid faciendum sit, quam praesupponere cognitionem, & futurum sub aliquo statu absoluto, vel conditionato, antequam definiat: nam si praesupponit cognitionem in aliquo statu, & non pro illo praedefinitum, neque etiam erit sub illo statu ideatum, & ab arte Dei profectum, quod est simpliciter non esse a Deo pro illo statu. Eadem ergo ratio ad id est ponendi in Deo ideas & praedefinitiones rerum praedeterminativas: unde cum scientia media has divinas praedefinitiones rejiciat, consequenter etiam divinas ideas tollit, & fiat Deum agentem caeco modo, casualiter, & fortuito, & sine providentia, ac intentione effectus particularis, ut disputatione praecedenti demonstravimus, & laus ostendimus Tractatu sequenti, quando agemus de divinis praedefinitionibus.

Notandum quartò, Ideas artificis duplicem competere modum informationis, secundum duos respectus quos importat. Nam secundum quod comparatur ad intellectum, ut ejus conceptus formalis, & prout gerit munus speciei, est forma intrinseca, informans, & actuans intellectum, & medium quò intelligit, quod Philo- sophi appellant *mezum incognitum*. Quatenus verò dicitur ordinem ad objectum, & prout gerit vices exemplaris, & est ratio originandi, & exemplari- dices ad extra; tunc habet rationem causae formalis extrinsecae, & formae imitabilis, ad quam respiciens artifex operatur, & mediè cogniti, ac representantis ut quod ipsam opus externum.

Notandum quintò, Essentiam divinam quae per ipsum intelligere purissimum, & actualissimum constituitur (ut in Tractatu de attributis ostendimus) semineti quodam modo, & sine distinctione eam virtuali, habere in Deo ratione speciei intelligibilis, intellectiois, verbi, & constitutivi naturae divinae. Prout enim concipitur ut secundans intellectum divinum in ordine ad intellectioem, gerit vices speciei & formae intelligibilis. Quatenus se habet per modum operationis, & actus secundi, secundum nostrum modum concipiendi egrèdientis à principio proximo intelligendi, habet rationem intellectiois, & cognitionis. Ut est terminus purissimus & actualissimus terminans in actu secundo divinum

Tom. I.

A intellectu, habet rationem verbi, & speciei expressae. Denique, ut est eminenti quodam modo, veluti radix & causa virtualis divinarum attributorum, habet rationem naturae. His praesuppositis,

Inquirimus, an, & quid sint ideae in mente divinae existentes? In cujus difficultatis resolutione licet omnes concedant dari ideas creaturarum in mente divina; in explicanda tamen illarum essentia, & ratione formali, varie opinantur. In primis erravit Plato in eo quod ideas posuit, non in Deo existentes, sed quasi illi extrinsecas, eique assistentes, per se subsistentes, & à singularibus abstractas, & separatas. Praeterea finxit à primà mente, nempe divina, ideas in mentem Angelorum effluere; ex mente Angelica, in animam mundi; sive, ut placuit Averrois, in intellectum communem abstractum, qualem ipse somnavit; ex anima mundi, in formas caelorum; ex formis caelestibus, in materiam formarum omnium receptivam. Haec attendens Aristoteles, merito Platonis ideas, ut mera figmenta dirisit. *Valeant*, inquit, *Platonis ideas, quia nihil sunt, aut monstrum sunt.*

Rejecto ergo hoc Platonis figmento, omnes Theologorum sententiae circa essentiam & quidditatem divinarum idearum, ad tres vel quatuor praecipuas revocari possunt. Quidam

constituunt ideas divinas in conceptu, obiectivo, seu in creatura ut cognita à Deo, & menti divinae obiecta. Alii, in conceptu formali; qui adhuc in duas sententias dividitur. Quidam enim volunt essentiam divinam habere rationem ideae, ut est cognitio creaturarum. Alii verò, ut gerit vices verbi, & speciei expressae, reddentis intellectui divinum actu cognoscens, & intelligentem. Alii denique docent, ideam esse ipsam divinam essentiam, ut cognitam, non absolute in se, sed comparative ad creaturas, & quatenus est imitabilis & participabilis ab illis.

Prius dicendi modus est Scoti in 1, dist. 35. quæst. 1. ubi ponere videtur in creaturis ab aeterno, quoddam esse diminutum & secundum quid, per actum divini intellectus productum, & distinctum ab esse reali in quo temporaliter sunt. Secundae sententiae adhaerent Suarez in Metaphysica, disp. 25. sect. 1. Vazquez disputat. 72. cap. 2. & alii Recentiores. Tertia verò communis est in schola D. Thomae, eamque docent Cajetanus hic art. 2. Banez Nazarius, Gonzales, Navarreta, Joannes à S. Thoma, Marcus à Serra, aliique recentiores Thomistae.

§. II.

E Triplici conclusione difficultas resolvitur.

Dico primò: dari in mente divina ideas, seu exemplaria creaturarum.

Conclusio est certa de fide, colligitur enim ex Scriptura, & SS. Patribus. Nam dicitur Joann. 1. Quod factum est in ipso vita erat. Ex quibus verbis colligit Augustinus ibidem Tract. 1. ideas esse in Deo. Quid est hoc (inquit) vita erat facta est terra, sed ipsa terra quae facta est, non est vita. Est autem ipsa sapientia spiritaliter ratio quaedam, quae terra facta est: haec vita est. Et paulò post: Faber facit arcam. Primò in arte habet arcam. Si enim in arte arcam non haberet, non esset unde fabricando illam proferrer. Attendit ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non

noti

Zz 2

noti

noti

non est vita: arca in arte vita est, quia vivit anima ar-
tisticu, ubi sunt ista omnia, antequam proferantur. Sic
ergo, quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, se-
cundum artem continet omnia, antequam fabricet om-
nia; hinc qua fiunt per ipsam artem, non continuo
vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram
vides: est in arte terra. Cælum vides: est in arte cælum.
Solem & Lunam vides: sunt & ista in arte. Sed foris
corpora sunt: in arte vita sunt.

Potest etiam probari conclusio ex illo ad He-
braeos 11. Fide intelligitur apta esse secula verbo
Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Nam per
invisibilia, D. Thomas ibi, & hic quæst. 65. art. 4.
ad 1. & de verit. quæst. 3. art. 2. intelligit ideas seu
rationes rerum quæ sunt in mente divina, ex qui-
bus, id est secundum quas, producta sunt visibi-
lia.

10. Favent etiam SS. Patres, qui has divinas ideas,
atque imagines rerum omnium, quibus res om-
nes creatæ intelligibiliter in mente divina ab
æterno fuere, eleganter exprimunt ac celebrant.
Dionysius enim cap. 3. de divinis nomin. lect. 3.
apud D. Thomam: Exemplaria (inquit) esse dici-
mus in Deo, rationes substantificas, existentium prædeter-
minativas & effectivas, secundum quas super substantia-
li essentia, omnia prædefiniunt & produxerunt.

11. Origenes tomo 1. in Joann. ideas divinas vocat figuras colle-
ctionis intelligentiarum, quæ sunt in divina sapien-
tia. Et subdit: Opinor enim sicut domus & navis fa-
bricatur, vel edificatur juxta figuras & formas, menti-
bus eorum qui structura præsentent, conceptas: domo,
navique principium sumensibus ab his figuris & rationibus,
quæ sunt in artifice: sic universa facta fuisse juxta re-
rum futurarum rationes, jam antea à Deo manifestatas

12. in sapientia. Omnia enim in sapientia fecit. Augusti-
nus lib. 12. de Civit. ait: In una Dei sapientia esse im-
mensos quosdam, atque infinitos thesauros rerum intelli-
gibilium, in quibus sunt omnes invisibiles, atque incom-
mutabiles rationes rerum, etiam visibilibus & mutabi-
lium, quæ per istam facta sunt: quoniam Deus non ali-
quid nesciens fecit: quod nec de quolibet artifice rectè dici
potest. Porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit qua no-
verat. Eandem veritatem agnovit Seneca, licet
gentilis, eamque epist. 65. his verbis eleganter
expresit: Deus rerum omnium intra se exemplaria
habet, numerosque universorum quæ agenda sunt, &
modos, mente complectitur est. Plenus his figuris est, quas
Plato ideas appellat, immortales, immutabiles, infatiga-
biles.

Boëtius lib. 3. de consolât. metro 5. vulgaris
his verbis, divinas illas ideas celebravit.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine for-
mans,
Perfectasque jubens perfectum absolvere partes.

Hunc imitatur Dionysius Carthusianus, libro
de Dei laudibus, ubi sic ipsum alloquitur:

Ars prima causalissima,
Tu plena rationibus:
Idei fulgidissima mens,
Præclara splendoribus.

Denique Augustinus relatus à D. Thoma
quæst. 3. de verit. art. 1. dicit: Quinque ideas esse,
infidelis est. Quod intelligendam est de ideis,
quantum ad rem significatam: nam an hoc no-
mine sint appellandæ, non est ita certum, ut
qui hoc negaret, tanquam infidelis esset judi-
candus.

Eadem veritas multiplici ratione potest sus-
deri. Primò, quia Deus est causa intellectualis.
Ergo habet ideas rerum. Probatur consequen-
tia: causa enim debet continere in se esse effectum,
secundum formam, & rationem ipsius: nam si
sit naturalis, continet illam naturali cause, per
formam inditam, sicut ignis generans continet
formam ignis geniti: si autem sit causa intelle-
ctualis, continet rationem effectus, non secun-
dum formam inditam, sed apprehensam: At
forma & ratio effectus in esse apprehenso, est
idea, & exemplar ipsius: Ergo in Deo dantur
ideæ. Unde Augustinus lib. 1. confess. cap. 6.
apud illum rerum omnium instabilitatem hanc cause, &
rerum omnium mutabilitatem immutabiles manent origi-
nes, & omnium irrationabilium & temporalium sem-
piternæ vivunt rationes.

Secundò, Idea nihil aliud est, quam forma,
non à qua, neque ex qua, sed ad quam artifex
respicens operatur, intra ipsum exitens, ut ex-
posuimus in secundo notabili: Sed datur hu-
jusmodi forma in Deo: Ergo & idea. Proba-
tur Minor: quia nisi Deus præcognosceret ef-
fectum, & nisi haberet formam, ad cuius instar
illum produceret, temerè, & cæco modo ageret.
Quare D. Augustinus libro 83. questionum,
quæst. 45. docet ponendas esse in Deo ideas, ne
rerum creatio videatur temeraria, & fortuita.
Omnia (inquit) ratione sunt condita: alias casu, &
fortuito evenirent; nec eadem ratione homo, quæ equum,
&c.

Tertiò, Scientia Dei se habet ad res creatas,
sicut artifex ad res artefactas, juxta illud Sapien-
tiæ 8. Quis enim horum quæ sunt, magis quàm illi est
artifex? Sed artifex operis sui ideam habet:
Ergo & Deus.

Quartò, Deus est primum omnium agens, &
primum formarum omnium dator: Sed nemo
dat quod non habet: Ergo in Deo sunt forme
omnium, & ideæ. Quam rationem tangit Da-
masceus lib. 1. de fide cap. 13. his verbis: Deus
omnium auctor est: Ergo omnium quæ sunt rationem
se & causas, hoc est ideas, sibi in seipso præhabet.
Cui concinip. Trismegistus dicens: Videtis agricul-
tam semen in terra proicientem, ubi frumentum nasci-
tur: talis est Deus, qui in celo seminat quidem immorta-
litatem, in terra vero mutationem, in universo matrem
& vitam: Ergo in mente sua, omnium habet ideas, re-
rum ascendendarum rationes feminales.

Denique, Speculum non ducit in cognitionem
nem aliquorum, nisi eorum similitudines in ipso
resplendant: Sed essentia divina est veluti pu-
rissimum speculum, ducens in cognitionem om-
nium creaturarum, & in quo Deus, & Beati-
tatis creaturas possibiles, & futuras cognoscunt, ut
constat ex supra dictis: Ergo in eo sunt similitu-
dines, & ideæ rerum omnium.

Dico secundò, Ideæ divinæ non sunt ipse
creaturæ, ut menti divinæ objectæ; & prout ha-
bent quoddam esse diminutum extra Deum,
per actum divini intellectus ab æterno produ-
ctum. Ita communiter docent Theologi con-
tra Scotum, cuius sententia multipliciter impu-
gnari potest.

Primò ex SS. Patribus supra relatis: Diony-
sius enim dicit ideas in mente Dei existentes,
esse substantificas, existentium prædeterminativas rerum
omnium effectrices. Augustinus lib. 83. questionum
quæst. 46. esse scilicet, & rationes incommutabi-
les, immortales, & æternas. Boëtius ideam vocat,
exemplar supernum: At hæc omnes appellationes,
non

non possunt competere creaturis, ut menti divinae obiectis, sed soli divinae essentiae, quae sola rerum omnium est effectrix, sola rerum existentium & futurarum praedeterminativa, sola aeterna, sola immortalis & immutabilis, sola supremum omnium exemplar: Ergo ideae divinae, non sunt ipsae creaturae, ut menti divinae obiectae.

Secundo, Idea cum sit forma quam aliquid imitatur, necessarium importat imitationem, & per consequens similitudinem ad ea quae illam imitantur: Sed tam similitudo, quam imitatio, distinctionem & pluralitatem rerum importat; neque enim una res seipsam imitatur, sed aliam; nec est sibi similis, sed alteri: Ergo ideae creaturarum in mente divina existentes, non possunt esse ipsae creaturae, ut à Deo cognitae, & menti divinae obiectae.

Tertio, Idea est realis causa ideari, & mensuratrix ipsius: Sed creatura secundum esse obiectivum considerata, non potest esse causa realis sui ipsius, ut producta ad extra, nec sui ipsius regula & mensura: Ergo nec habere rationem ideae. Maior patet, quia idea est exemplar ideati: exemplar autem est causa realis exemplati, & mensura ipsius, ut docent Philosophi 2. Phyl. Minor vero probatur: cum inter causam & effectum, mensuram & mensuratum, sit relatio realis, debet etiam esse distinctio: Sed creatura cognita, est eadem cum ipsa creatura in re producenda; aliis non cognosceretur idem quod in re producendum est: Ergo creatura, secundum esse obiectivum considerata, non potest esse causa realis sui ipsius, ut producta ad extra, nec sui ipsius regula & mensura.

Quarto, Sicut agens naturale constituitur in actu primo ad agendum, per formam naturalem, ita & agens intellectuale, per formam intellectualem, nempe ideam in mente conceptam, ut docet D. Thomas hic art. 1. Sed Deus non potest constitui in actu primo potens ad agendum, per ipsam creaturam, ut divinae menti obiectam; alioquin ab illa penderet, & ab ea regularetur, ac mensuraretur in suis operationibus: Ergo creatura, ut à Deo cognita, non potest habere rationem ideae respectu intellectus divini.

Quinto, Idea est forma realis in Deo: Sed creaturae ut habent ab aeterno esse obiectivum in mente divina, non sunt quid reale, sed rationis; ex cognitione enim divina nihil in eis resultat ab aeterno, nisi extrinseca denominatio cogniti: Ergo idem quod prius.

Sexto, Idea est illud ad cuius instar formatur ideatum: Sed creatura obiectivè representata, non est id ad cuius instar formatur creatura, & per quam ejus formatio regulatur & causatur: Ergo illa non habet rationem ideae in Deo. Maior patet, Minor vero probatur. Creatura obiectivè cognita à Deo, cognoscitur ut quid creabile à se, non vero ut quid increabile: Ergo ut quid formabile à se, non vero ut id ad cuius instar formetur ideatum, & per quod ejus formatio causetur & reguletur.

Septimo, Deus cum sit supremus artifex, debet causare res per ideam, quae sit forma suprema, & divina: Atqui creaturae, ut menti divinae obiectae, non habent rationem formae divinae & supremae, sed sola essentia divina, cognita ut imitabilis à creaturis: Ergo creaturae, ut menti divinae obiectae, non constituunt ideam primi & supremi artificis, sed ipsa essentia divina, ut com-

Tom. 1.

A parata ad creaturas, et cognita ut imitabilis & participabilis ab illis.

Octavo, cum Deus in sua essentia contineat rationem plenissimam cognoscendi totum quod est in creatura, quia totum causatur, & participatur ab illa; non oportet quod respiciat ad ipsas creaturas, ut formet ideas illarum, sed potius ad suam essentiam, & quòd illam cognoscat, ut ab illis imitabilem & participabilem.

Deniq; Absurdum videtur ponere, creaturas habere ab aeterno aliquod esse diminutum extra Deum, per actum divini intellectus productum, ut docet Scotus loco citato. Nam vel per illud esse diminutum, intelligit aliquod esse extra Deum quod sit purè reale, vel purè rationis, vel medium inter reale & rationis? Primum dici non potest, repugnat enim principiis fidei, dicere creaturas habere ab aeterno aliquod esse reale extra Deum, quantumcumque diminutum; alioquin illae essent ab aeterno productae, cum omne esse reale, quodcumque illud sit, derivetur à Deo per creationem, quae est totius entitatis & existentiae productio. Secundum etiam affirmari non potest, alioquin divinae ideae constituerentur per aliquod ens rationis, & sic non possent esse verae & reales causa creaturarum. Tertium verò absurditas est: fictitium enim & chimericum videtur, ponere aliquod ens, medium inter reale & rationis, ut docent Philosophi in Metaphysica. Merito ergo de ideis Scoti dicere possumus, quod ait Aristoteles de ideis Platonis. *Valent Scotus cum suis ideis: quia aut nihil sunt, aut monstrantur.*

Dico tertio, Essentia divina, ut gerit vices intellectus, aut speciei; & prout comparatur ad intellectum divinum, per modum formae intelligibilis illius aeternantis, & tanquam id quòd redi dicitur cognoscens, non induit rationem ideae; sed solum prout est forma obiecta divino intellectui, & cognita ab ipso, ut imitabilis à creaturis, Ita communiter docent nostri Thomistae contra Recentiores.

Probatum primò ex D. Thoma hic articulo 2. ubi inquit, *ideam operati esse in mente operantis, sicut quod intelligitur, non sicut species quae intelligitur, quae est forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente edificatoris, est aliquid ab eo intellectum, ad cuius similitudinem domus in materia formatur.* Et iterum in responsione ad 2. dicit quòd *Sapientia & ars significantur ut quòd Deus intelligit, sed idea ut quòd Deus intelligit.* Et ex hoc explicat, quomodo plures ideae sint in Deo; quia licet species, seu conceptus divinus, ut est principium seu forma cognoscendi, sit unicus (esset enim contra simplicitatem divinam, plures conceptus in ratione cognoscentis habere) tamen rationes per talem conceptum cognitae, plures sunt, quatenus cognoscit Deus, suam essentiam esse diverso modo imitabilem à creaturis, ut latius infra exponemus.

Probatum secundo ratione fundamentali, quae petitur ex definitione ideae, supra exposita. Ad ideam enim pertinet, ut sit forma ad quam respiciens artifex operatur: Atqui essentia divina, ut gerit vices intellectus, vel speciei, & ut redi dicitur intellectum cognoscentem, tanquam mediū quòd, non est id quòd intellectus inspicit, sed id quòd inspicit: Ergo non est idea sub ista formalitate, sed in quantum est aliquid cognitum, ut imitabile à creaturis.

Probatum tertio, Causalitas ideae non est pra-

223

bere

bere effectum formalem intellectui, sed ideato: quia propria causalitas ideæ, non est esse formam intrinsecam & informantem, sed extrinsecam & formantem ideatum, ut constat ex supra dictis. Ergo licet in conceptu inveniatur ordo ad intellectum ut ad subjectum quod actuatur, tamen iste ordo non constituit ipsum in ratione ideæ; quia sub hoc respectu est forma intrinseca per sui inhaerentiam & conjunctionem reddens intellectum cognoscentem, non autem forma imitabilis & extrinseca, reddens rem ad extra formatam, & ideatam.

28. Denique currit ratio D. Thomæ hic art. 2. Deus unico conceptu, seu specie, attingit omnia objecta, nec variatur divinus conceptus ex eorum diversitate: Sed ideæ multiplicatur, juxta diversam imitabilitatem & respectum ad ipsas res ideatas: Ergo non potest idea consistere in conceptu, quatenus est forma intellectus reddens illum cognoscentem, sed in ipsa essentia divina, prout cognoscitur ut imitabilis & participabilis à creaturis: ut docet idem S. Doctor hic art. 1. ad 2. dicens: *Essentia divina habet rationem ideæ, secundum quod ad alia comparatur.* Et art. 2. ad 1. *Idea, inquit, non nominat divinam essentiam, in quantum essentia, sed in quantum est similitudo, vel ratio hujus vel illius rei.*

29. Confirmatur: Idea est forma quam aliquid imitatur: Ergo nisi essentia divina sit cognita ut imitabilis à creaturis, non habebit rationem ideæ.

Ad do quod, de ratione ideæ est esse verbum practicum: sed divina essentia, nisi cognoscatur imitabilis, & participabilis à creaturis, non cognoscitur ut verbum practicum: Ergo non habet rationem ideæ, nisi prout cognita sit imitabilis, & participabilis à creaturis. Quod ut fiat evidentius,

30. Observandum est cum S. Thoma in 1. dist. 27. quæst. 2. art. 3. ad 4. & ex Ferrarienti contra Gent. cap. 54. tripliciter posse intellectum ferri in formam conceptam. Uno modo in quantum est similitudo rei præcisè: id est in quantum intellectus utitur ipsâ in actu exercito, ut medio per quod rem cognoscit, & sic dicitur in actu signato cognoscit rem representatam, & solum in actu exercito ipsam formam conceptam. Alio modo in quantum est talis res, habens tale esse in anima, & sic dicitur in actu signato cognoscit solum ipsam formam. Tertio modo per comparationem unius ad alterum, dum consideratum esse alterius representativum, & sic simul utrumque cognoscit. Intellectus igitur divinus, in essentia suam tripliciter ferri potest: scilicet, simpliciter & absolute, in quantum est talis res; & sic intelligendo essentiam suam, non concipit proprium exemplar rerum, & propriam rationem ipsarum formaliter. Secundo modo in quantum utitur ipsâ, ut medio per quod sibi res creatæ representantur; & sic etiam non intelligit ipsam in actu signato, ut proprium earum exemplar. Tertio modo in quantum intelligit ipsam ut imitabilem à creatura, secundum hunc perfectionis modum determinatè (putà secundum gradum vitæ) & sic cognoscit ipsam, ut est exemplar formaliter talis creaturæ: quia apprehendit ipsam cum habitudine ad talem creaturam. Propter quod inquit S. Thomas, *Deus intelligendo essentiam suam, ut imitabilem per modum vitæ præcisè, accipit propriam ideam & rationem plantæ.* Quasi diceret, quod non apprehendit essentiam suam tanquam propriam ideam alicujus rei, nisi quatenus ipsam cum re-

specu ad illam intelligit,

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Anselmus in Monologio cap. 29. ait: *Satis manifestum est, in Verbo per quod facta sunt omnia, similitudines rerum non esse:* Sed idea est similitudo rei faciendæ: Ergo ex Anselmo in Verbo non sunt ideæ rerum. Item Dionysius cap. 7. de divinis nominibus dicit, quod *Deus non cognoscit res secundum ideam.*

Respondetur ad D. Thomam quæst. 3. de veritat. 1. ad 10. quod intentio Anselmi est dicere, quod in Verbo non sunt similitudines rerum, sumptæ à rebus ipsis; sed potius quod omnes rerum formæ & similitudines ab ipso Verbo derivatæ sunt, unde addit Anselmus: *Verbum non est similitudo rerum, sed res sunt imitationes Verbi.*

Ad Dionysium similiter dicendum est, cum eodem D. Thoma ibidem in resp. ad 6. quod intentio Dionysij est dicere, quod Deus non cognoscit res per ideam ab illis acceptas, sed per suam essentiam habentem rationem ideæ & exemplaris.

Objicies secundò: Eiusdem effectus non sunt multiplicandæ causæ sine necessitate: Sed causa creaturarum est scientia Dei practica, vel ars divina, ut constat ex dictis in 3. disp. Ergo non sunt ponendæ idea in mente divina, ut per eas Deus creaturas ad extra producat.

Respondeo quod sicut in artifice creato idea & ars simul concurrunt ad opus artificiale, diversimodè tamen: ars enim concurret per modum principij dirigentis & efficientis, ac inducentis formam artificialem in materiam; idea verò per modum exemplaris, & causæ formalis extrinsecæ; unde prima se tenet ex parte agentis, secunda verò ex parte effectus producendi. Ita similiter in Deo, qui est supremus rerum omnium artifex, scientia & idea diversimodè ad productionem creaturarum concurrunt: prima enim concurret directivè & effectivè, ut in 3. disp. exposuimus; secunda verò exemplarivè & objectivè, ut ex supra dictis constat.

Objicies tertio pro sententia Scoti, contra secundam conclusionem, Id quod in mente artificis creati est idea, proportionè servatâ, debet esse idea in mente Dei. Ut enim dicit Augustinus supra relatus: *Omnis creatura unit in mente divina, sicut arca in mente artificis:* Sed in mente artificis creati, res ipsa concepta, ut ad illam intuens operatur artifex, est idea illius: Ergo etiam creaturæ ut menti divinæ objectæ, habent rationem ideæ & exemplaris. Minor probatur: nam domus concepta, ut ad ejus imitationem artifex construit domum, est idea domus, juxta Aristotelem & D. Thomam 7. Metaph. lect. 6. dicens: *Ex sanitate fieri sanitatem, & ex domo domum: scilicet ex ea quæ est sine materia, in anima existente, illam qua habet materiam.*

Confirmatur à simili: Res ad extra apprehensa ut bona, movet ad sui amorem, per modum causæ finalis: Ergo etiam eadem res ut apprehensa, & menti artificis objecta, movebit ut idea, & exemplaris ad sui executionem.

Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando Minore. Idea enim in mente artificis, non est ipsum opus externum, ut menti ejus objectum; sed verò modum practicum quod format in suo intellectu de opere artificiali, factibili, vel faciendæ, ut docent Philosophi in 2. Phys. Ad

Ad auctoritatem Aristotelis & D. Thomae dicendum est, quod quando illi dicunt, ideam artificis esse ipsam rem, quae per artem fieri debet, ut cognitam, hoc intelligendum est de re non in suo proprio & naturali essendi modo, sed in alio nempe intelligibili, quem habet in intellectu eius conceptus, non objectivus, sed formalis, id est verbum ab artifice productum & expressum, quod cum sit similitudo formalis operis faciendi, ut suppono ex Philosophia est ipsum faciendum, non in esse entitativo, sed intelligibili. Unde idem est dicere, quod res ipsa factibilis, vel facienda, ut habet esse intelligibile in mente artificis, sit ejus idea & exemplar, ac ipsum verbum, seu speciem expressam illam representantem.

Ad confirmationem nego Consequentiam, & parat. Ratio disparitatis est, quia nihil movet metaphoricè, excitando ad desiderium sui: unde sufficit ad causalitatem finis, quod idem quod est in executione ponendum, intendatur, & apprehendatur sub ratione boni & convenientis. Idea autem causaliter per modum regulæ & mensuræ, quæ debet realiter distingui à regulato & mensurata: proinde ad ejus causalitatem non sufficit quod ipsamet res quæ debet ad extra produci, meti artificis objiciatur ut factibilis, vel facienda, alioquin idem esset sui ipsius regulæ & mensura.

Objicies quartò contra ultimam conclusionem. Idea debet esse perfecte similis ideato, cum res ideata debeat fieri ad instar illius: Sed essentia divina non est similis creaturis, nisi analogicè & imperfectè: Ergo non est illarum idea.

Confirmatur: Idea debet continere formaliter perfectiones quæ sunt in re ideata: Sed essentia divina non continet formaliter perfectiones creaturarum (putà rationalitatem, equitatem, aliasque perfectiones secundum quid, quæ habent aliquam imperfectionem admixtam) sed virtualiter tantum, aut eminenter: Ergo non habet rationem ideæ respectu creaturarum. Minor constat, Major autem probatur à Vasque, exemplo lucis, licet enim lux Solis virtualiter vel eminenter contineat calorem, non potest tamen dici, vel esse illius idea, quia non continet illum formaliter.

Ad objectionem respondeo primò, distinguendo Majorem. Idea debet esse perfecte similis ideato, entitativè, nego: representativè vel causalitè, concedo. Idea enim est qualitas spiritualis & immaterialis in mente artificis; opus autem externum, quod ad instar illius formatur, materiale est & corporeum, nec est qualitas, sed substantia. Idem videmus in sigillo: sigillatum enim non imitatur sigillum, in eo quod est in se entitativè, quia in se est ex ære vel auro; sigillatum autem est cera: sed in eo quod sigillum continet sigillatum in ratione figurabilis, imò ipsam figuram continet sigillum, modo inverso, quam sit in sigillato. Unde ad Minorem argumenti similiter dicendum est, quod licet essentia divina, entitativè sit valde dissimilis creaturæ; representativè tamen & causalitè, totum quod est in creatura continet, & assimilat illam sibi inadæquatè.

Secundo responderi potest, quod sicut mater & filius dicunt relationem realem ad invicem, quando sunt ejusdem ordinis, secus autem, quando filius est ordinis superioris & increati, ut patet in Christo, qui non refertur realiter ad B. Virginem, quia suppositum Verbi Divini, cum sit ordinis increati, est incapax relationis realis

ad creaturas. Ita similiter, quando idea & ideatum sunt ejusdem ordinis, debent perfecte assimilari & univoce convenire: secus tamen, quando idea est transcendens, & inadæquata, ac ordinis superioris & increati, qualis est essentia divina: tunc enim sufficit, quod sit similis ideato, causaliter & eminenter; & quod ex ejus participatione & imitatione, ideatum habeat totum quod habet. Hanc autem similitudinem causalem, & eminentialem, habet essentia divina respectu creaturarum; cum ex ejus participatione & imitatione, in creaturis deriveretur totum illud quod in illis est entitatis & perfectionis.

Ad confirmationem similiter dicendum est, quod licet idea, quæ est ejusdem ordinis cum ideato, debeat formaliter continere omnes ejus perfectiones; secus tamen est de idea quæ est ordinis superioris & increati, & quæ est transcendens & inadæquata, qualis est essentia divina. Unde patet disparitas ad exemplum de luce, à Vasque adductum: lux enim Solis non est ordinis superioris ad calorem, & alias qualitates quas virtualiter continet, nec eas continet continentia eminentiali perfectà, sicut essentia divina: cum totum quod est in calore, non deriveretur à luce, nec illa producat calorem per sui participationem, sed ut est virtus cæli, quod est primum alterius hæc inferiora, ut docet D. Thomas in 2. dist. 13. quæst. 1. art. 3. ad 6.

Ad do quod, lux non est influens in calorem, vitali & intelligibili modo, nec ut inspecta ut imitabilis ab illo; quod tamen requiritur ad rationem ideæ, quare illud exemplum Vasquesii ineptissimum est.

ARTICULUS II.

An & quomodo in mente divina pluralitas idearum ponenda sit?

Duplex circa hoc difficultas occurrit, breviter hic discutienda. Prima est, an & quomodo cum simplicitate divinæ essentiae stet pluralitas idearum in Deo? Secunda, dato quod ideæ plurificentur in Deo, non per plures respectus reales, sed rationis, an illi respectus formentur ab intellectu divino: ita quod etiam ante nostrum intellectum, sint in Deo plures ideæ formaliter, an verò solum fundamentaliter, & per nostrum intelligere formaliter multiplicentur?

S. I.

Utraque difficultas resolvitur.

Dico primò: In mente divina plures esse ideæ, non quidem reales & entitativè, sed formaliter & denominativè. Ita communiter docent Theologi contra Aureolum, qui absolute docet, unam tantum esse ideam in Deo, sicut in mente divina est unica tantum ars & scientia practica. Eandem sententiam, ex alio principio erroneo docuit Avicenna, ut videri potest apud D. Thomam quæst. 3. de verit. art. 2. putavit enim Deum solum produxisse immediate primam creaturam, seu primam intelligentiam; & illam per ideæ quas à Deo accepit, produxisse cæteras creaturas.

Probatur prima pars ex Scriptura & ex SS. Patribus, qui in mente divina multas esse creaturas

rum ideas, non obscure profitentur. Dicitur enim ad Hebræos undecimo: *Fide intelligimus ap-
tata esse sacula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia
fierent. Ubi per invisibilia, quibus dicit Apostolus
fieri visibilia, intelligit sanctus Thomas ideas
seu formas quibus Deus disponit, & facit crea-
turas. Item Dionysius supra relatus, dicit dari in
Deo exemplaria rerum, quæ vocat, Rationes sub-
stantificas, existentium prædeterminativas. Et D. Au-
gustinus lib. 8. 3. quæst. Omnia, inquit, ratione sunt
condita, nec eadem ratione homo, quæ equus; hoc enim
absurdum est existimare: singula igitur proprijs crea-
ta sunt rationibus. Nec hoc Gentiles latuit: Plato
enim agnovit in Deo innumeras creaturarum
ideas. Unde Seneca, Deus plenus his figuris est, quas
Plato appellat ideas. Et Trifnegistus supra relatus,
dicit quod Deus omnium habet ideas, rerum nascentium
seu feminiales rationes.*

42 Ratio etiam id suadet: Sicut enim ad artificis
peritiam pertinet unicuique operi artificiali
servare distinctionem suam, & tribuere suam
propriam rationem, & formam artificialem di-
stinctam ab alijs; ac proinde habere diversas ar-
tefactorum ideas, & rationes in mente conce-
ptas, quibus formet unumquodque juxta mo-
dum sibi proprium. Ita similiter, proportione
servata, & seclusis imperfectionibus, ad supre-
mam Deitatem, & sapientiam spectat, plures in
sua essentia concipere rationes rerum faciendarum,
pluresque modos ideandi, & regulandi
creaturas, secundum quod ejuslibet natura &
conditio exposcit.

Confirmatur: Essentia Divina secundum se
cognita, non habet rationem ideæ, sed cognita
prout est ratio rerum faciendarum, & prout à
tali, vel tali creatura imitabilis est: Atqui Deus
cognoscit in sua essentia plures rationes rerum
faciendarum, videtque eam diversimodis à crea-
turis esse imitabilem & participabilem: v.g. ab
Angelo, secundum gradum intellectualitatis; à
planta secundum gradum vitæ; à lapide, secun-
dum gradum entis: Ergo in mente divina plu-
res dantur creaturarum ideæ.

43 Secunda pars quæ asserit illas non esse plures
realiter & entitative, sed formaliter tantum &
denominative, est certa: quia ut docent Theo-
logi, in Deo nulla est distinctio realis & entita-
tiva, nisi ubi intervenit relationis oppositio; quæ
solum tres personas divinas realiter inter se di-
stinguit, fides Catholica profiteretur: At ideæ non
pertinent in Deo ad relationes personales, & ad
notionalia, sed ad absoluta: Ergo non distin-
guuntur realiter & entitative, sed formaliter
tantum & denominative.

44 Confirmatur: Quando aliquod nomen impo-
nitur magis ad significandum officium, vel for-
malitatem alicujus rei, quam entitatem & reali-
tatem ipsius; tunc multiplicatio seu pluralitas
non sumitur ex parte entitatis rei, sed ex varijs
muneribus & officijs quæ exercet. Sic persona
Christi dicitur composita & duplex, non entita-
tive, sed terminative, ex officio terminandi, seu
personandi plures naturas. Similiter dicuntur
esse in Deo quatuor relationes, licet solum sint
tres distinctæ (nam spiratio activa identificatur
cum paternitate & filiatione) propter diversam
terminationem & exercitium, seu munus refe-
rendi; licet entitative non distinguantur nisi tres.
Et passiones entis dicuntur tres, scilicet unum,
verum & bonum; non quia entitative multipli-
centur, sed quia important diversas connotatio-

nes & habitudines. Cum ergo idea significet en-
titatem essentia divina, non absolute, & secun-
dum suam realitatem; sed respectivè, & quan-
tum ad officium & formalitatem ideandi, &
formandi plures res: licet illa sit unica & simpli-
cissima, in ratione essentia, est tamen multiplex
in ratione ideæ. Sicut è converso locus dicitur
unus, & immobilis, quando situs & distantia una
est, licet superficies sint plures; quia locus non
significat superficiem absolute, sed ut subest illi
distantia.

Dico secundò, Pluralitas ista idearum in Deo
sumitur secundum diversos respectus rationis,
essentia divina ad creaturas: qui tamen respec-
tus non se habent ut ratio formalis constitutiva
idearum, sed ut modus quidam seu conditio re-
quisita, ut ipsa entitas divina essentia exerceat
officium plurium idearum.

Probatur prima pars: Pluralitas idearum re-
spectiva est, & sumitur ex respectu ad creaturas,
diversimodè imitantes divinam essentiam: At-
qui talis respectus non est realis, sed rationis: Er-
go pluralitas idearum sumi debet secundum re-
spectum rationis. Major constat ex supra dictis,
Minor verò probatur. Tum quia essentia divi-
na, cum sit ens absolute, & à creaturis inde-
pendens, non potest ad illas realiter referri. Tum
etiam, quia non dantur in Deo alia relationes
reales, quam personales, quæ fundantur in origi-
ne, & processione reali intra Deum: Atqui ideæ
non sunt relationes inter se oppositæ, sed sunt
communes omnibus personis: Ergo respectus ad
creaturas qui im portatur in ratione ideæ, non
potest esse realis, sed rationis. Unde D. Thomas
hic art. 2. ad 4. *Respectus multiplicantes ideas, non
sunt in rebus creatis, sed in Deo: non tamen sunt reales
respectus sicut illi quibus distinguuntur personæ, sed re-
spectus intellectus à Deo.*

Secunda pars, quæ asserit quod illi respectus
rationis, non se habent ut ratio formalis consti-
tutiva ideæ, &c. videtur etiam certa: Idea enim
est vera & realis causa, & ac realiter influens in
suum ideatum: Ergo non potest constitui in sua
ratione formali, etiam quatenus specialis est, &
ab alia distincta, per solum respectum rationis.
Quatenus sine respectu rationis non potest esse
vel concipi multiplicitas idearum, quæ respecti-
va est, seu comparativa, & non per respectum
realem, ut ostensum est: oportet quod talis re-
spectus rationis intret saltem tanquam condi-
tio, seu modus requisitus, in ideis divinis, ad
multiplicationem earum: cum non possit ali-
quid pertinere ad alterum necessario, nisi vel
tanquam constitutum, vel tanquam conditio,
seu modus requisitus. Unde quando D. Thomas
de verit. quæst. 3. art. 2. ad 2. dicit, *Idea de se
principali intellectu habet aliquid præter essentiam, in
quo etiam completur formaliter ratio ideæ, ratione
cuius dicuntur plures ideæ, &c.* intelligendus est de
respectu imitabilitatis ad creaturas, quod tan-
quam modo intrinseco constituitur, & comple-
tur ratio ideæ in Deo. Licet enim talis respectus
sit rationis, potest tamen ad constitutum ideæ
pertinere, non quidem tanquam differentia, &
ratio formalis, sed tanquam modus intrinse-
cus, aut conditio requisita. Nam hoc modo sæpe
concurrunt ens rationis ad constitutionem entis
realis, ut patet in Sacramentis, & alijs hujus-
modi.

Dicet, Si ideæ divina non constituuntur, nec
distinguuntur formaliter per diversos respectus
ratio-

rationis: per quid ergo formaliter constituuntur & distinguuntur?

Respondetur illas formaliter constitui & distinguuntur per diversos modos imitabilitatis essentiae divinae, qui neque sunt respectus reales, neque rationis, nisi fundamentaliter, sed quae iam extrinsece connotationes, quae in recto important ipsam divinam essentiam, in obliquo vero creaturam, ut diversimode illam imitantes, & participant. Sicut docent celeberrimos Theologi de constitutivo adus liberi Dei, de quo fuse tractatur sequenti.

Hic tamen, ad complementum hujus quaestionis, superest hic discutendum, an respectus illi rationis, qui ad distinctionem & multiplicationem divinarum idearum, modo explicato concurrunt, sint formaliter causati ab intellectu divino, relatiivam fundamentaliter. In cujus difficultate resolutione, duae sunt sententiae oppositae. Prima est Gonzalis hic disp. 47. sect. 2. & Marti à Serra hic artic. 2. conclus. 3. qui docent respectus illos ideales, à divino intellectu, comparate essentiam suam ad res, formaliter esse causatos. Secunda quae communior est apud Thomistas, & cui adhæret Joannes à S. Thoma hic art. 3. affirmat intellectum divinum, respectus illos ideales non causare, nisi fundamentaliter quatenus Deus comparando essentiam suam ad res, præbet fundamentum proximum intellectui nostro, fingendi in essentia divina relationem rationis ad creaturas. Cui sententiae tanquam probabiliori subscribo, &

Dico tertio, probabilius esse respectus ideales, quibus ideae divinae multiplicantur, & distinguuntur, non causari à Deo formaliter, sed tantum fundamentaliter.

Probatur ratione fundamentali Deus non potest causare formaliter respectus ideales, nisi essentiam divinam, in se omnino absolutam, referat ad creaturas, & nisi concipiat id quod secundum se non habet ordinem ad creaturas, tanquam ad illas ordinatè se habens: Sed hoc manifestum involvit imperfectionem in cognoscendo. Ergo non debet Deo attribui. Major constat, nam in eo consistit relatio rationis, quod id illud quod est omnino absolutum, referatur ad aliud, & concipiatur ut ad illud ordinatum. Quare D. Thomas quaest. 7. de potentia art. 11. loquens de relationibus rationis, quae sunt primae intentiones, & attribuntur rebus extra intellectum, & prout sunt à parte rei, dicit quod tales relationes consequuntur modum intelligendi, secundum quod aliqua non habentia secundum se ordinem, ordinata intelliguntur. Minor etiam est evidens, nam referre aliquid ad aliud, ad quod secundum se nullum dicit ordinem, & concipere id quod non dicit ordinem, ad instar rei ordinatae, importat imperfectionem in cognoscendo. Sic enim concipitur res aliter ac in se est, ex parte rei cognita; & in re omnino absoluta apprehenditur aliqua relatio, quae revera ipsi non convenit; ac proinde in tali cognitione intervenit aliqua fictio, & imperfectio Deo repugnans.

Confirmatur primò: non potest non esse aliqua imperfectio, sic rem aliquam apprehendendo, quod ex modo apprehensionis, non possit judicari quod ita sit in re sicut concipitur; multò enim perfectius est, sic concipere objectum, quod semper possit dici, ita est in re sicut concipitur: Sed si Deus concipit essentiam suam, ut

Tom. I.

relatam & ordinatam ad creaturas, cum in re relata & ordinata non sit, debet formare hoc iudicium: Ego concipio meam essentiam, taliter quod non est sicut concipio: Ergo in tali cognitione non potest non esse aliqua imperfectio.

Confirmatur secundo: Illa cognitio est imperfecta, quae potest corrigi per aliam perfectiorem: Sed cognitio quae Deus suam essentiam apprehenderet, ut relata & ordinata ad creaturas, corrigi posset per aliam perfectiorem, quae videret suam essentiam esse in se omnino absolutam, & ab omni creaturarum respectu independentem: Ergo esset imperfecta, & Deo repugnans.

Probatur secundo, destruendo præcipuum fundamentum Adversariorum. Idem enim illi asserunt, respectus ideales ab intellectu divino formaliter esse causatos; quia ab illo cogniti sunt & intellecti, ut docet D. Thomas hic art. 2. ad 4. Sed hæc ratio nulla est: Ergo &c. Minor probatur: quod enim Deus relationes istas ab alio intellectu formatas cognoscat, vel etiam earum quidditatem & fictionem intelligat, reddit quidem illas extrinsece cognititas, eo modo quo redditur cognita quaecunque res, quando cognoscitur; non tamen reddit eas formatas in esse cognito, nec habentes illud esse fictum & diminutum, in quo consistit essentia entis rationis; quod tunc solum formatur (inquit D. Thomas Opusc. 2. cap. 2.) Quando intellectus nititur apprehendere non ens ad modum entis, & ideo fingit illud ac si ens esset.

Confirmatur & simul aperitur radix deceptionis Adversariorum: Aliud est cognoscere non ens ad modum entis, & aliud illud cognoscere ratione entis: Deus enim cognoscit formas per privationem, v.g. tenebras per lucem, cæcitatem per visum, peccatum per gratiam, & mala per opposita bona, quia illa non habent alium modum cognoscibilitatis; & tamen non cognoscit privationes ad modum formæ, nec tenebras ad instar lucis; aut cæcitatem ad instar visus: hoc enim manifestam importat imperfectionem. Ergo similiter, licet Deus cognoscat ens rationis petens reale, cuius est veluti umbra & figura, non sequitur quod formet entia rationis, illud ita cognoscendo: sicut nec ea format, quando cognoscit mala per bona, privationes per formam, & materialia modo immateriali; quia ut vidimus ex D. Thoma, tunc solum formatur ens rationis, Quando intellectus nititur apprehendere non ens ad modum entis, & fingit illud ac si ens esset. Non quod revera intellectus iudicet, ens rationis esse ens reale (sic enim iudicium illud esset falsum & erroneum) sed quod apprehendat ad instar entis, & relationis, aut formæ, id quod re verà non est ens, nec relatio, nec forma.

§. I I.

Solvantur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem. In Deo non sunt plures artes, vel plures scientiae; imò nec plures conceptus, aut species: licet sint plures creaturae factae per artem intellectæ per scientiam, representatae per speciem, & expressæ per conceptum: Ergo neque etiam dantur plures ideae, licet sint plures creaturae imitantes perfectiones divinae essentiae. Antecedens est certum, & admittitur à D. Thoma hic art. 2. Consequentia vero probatur à paritate rationis: Non enim major videtur esse ratio, cur plurificentur ideae in Deo, ex diversis respectibus

AAa

ad

ad creaturas, non verò ars, scientia, species, & conceptus, seu verbum, quæ plures etiam creaturas attingunt, & sic fundant plures respectus rationis ad illas.

36. Repondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis duplex est. Prima sumitur ex eo quòd scientia, & ars, ac species, se tenent ex parte principii cognoscentis, & se habent ut principium quòd Deus cognoscit vel operatur: idea autem se tenet ex parte objecti & termini, quatenus est id quòd intelligitur, & se habet ut forma ipsius ideati, non autem ipsius ideantis. Unde cum ad naturam perfectam pertineat intelligere plura objecta, & agere per pauciora principia, ad summam Dei perfectionem, & simplicitatem spectat, plures habere ideas, & unicam artem, & scientiam, ac speciem. Solutio est D. Thomæ hic art. 2. in corpore, ubi dicit, *Ideam operati esse in mente operantis, sicut quòd intelligitur, non autem sicut species quæ intelligitur* &c. Non est autem contra simplicitatem divini intellectus, quòd multa intelligat, sed contra simplicitatem eius esset, si per plures species eius intellectus informaretur. Sic enim (ut ipse dicitur infra quæst. 58. art. 2. & 1. contra Gentes cap. 55.) non simul omnia intelligeret, sed unum post aliud, ac proinde quandoque esset intelligens in potentia, & quandoque in actu: quòd divinæ perfectioni & simplicitati derogaret.

37. Secunda differentia consistit in hoc quòd scientia & ars dicuntur per connotationem ad objectum formale, quòd est unicum: idea verò, per respectum & connotationem ad objecta materialia, quæ plura sunt. Quare non obstat quòd scientia & ars importent connotationem, & respectum rationis ad creaturas, sicut idea: aliter enim importatur in idea, & aliter in arte & scientia. In idea enim talis connotatio se habet formaliter, & per modum specificativi & constitutivi: in arte verò & scientia, secundario tantum, & de materiali importatur: ars enim, & scientia practica in Deo, primario, & tanquam objectum formale & specificativum, respiciunt divinam essentiam, ut est ratio cognoscendi, & producendi creaturas.

38. Ad aliud quòd additur de verbo, seu specie expressa, quæ in Deo est unica: neganda est etiam paritas, cum D. Thoma infra quæst. 34. art. 3. ad 4. ubi dicit, quòd nomen *idea principaliter est impositum, ad significandum respectum ad creaturam, & ideo plurali er dicitur: sed nomen verbi principaliter impositum est ad significandum relationem ad dicentem, & ex consequenti ad creaturam, in quantum Deus intelligendo se, intelligit omnem creaturam: & propter hoc in divinis est unicum tantum verbum personaliter dictum*. Idem dicendum est de verbo essentiali, & communiter dicto, quòd (ut docet idem S. Doctor, quæst. 4. de verit. art. 4.) non importat processum realem, sed rationis tantum, sicut & hoc nomen intellectum.

39. Obijcies secundo contra secundam conclusionem. Si pluralitas idearum in Deo, sumeretur ex diverso respectu rationis ad creaturas, illæ solâ ratione distinguerentur; & sic una posset de alia prædicari. Sicut enim, quia misericordia solâ ratione differt à justitia, concedimus misericordiam in Deo esse justitiam: ita etiam concedendum erit, ideam hominis v.g. esse ideam equi, si illæ ratione tantum inter se differant.

A Respondeo negando sequelam Majoris, ad cuius probationem dicendum est, quòd licet idea in mente divina realiter identificentur, & solâ ratione inter se differant, una tamen non potest de alia prædicari, nec dici quòd idea hominis sit idea equi, sicut misericordia in Deo dicitur esse justitia. Quia quando dicitur, *idea hominis*, importatur formaliter, & explicitè, connotatio essentia divinæ ad creaturam rationalem, imitantem, & participantem gradum divinæ intellectualitatis. Quando verò dicitur, *idea equi*, exprimitur alia connotatio essentia divinæ, ad aliam naturam imitantem & participantem aliam perfectionem, & alium gradum vite divinæ, facultatem scilicet sentiendi, quæ eminenter in Deo reperitur. Et quia una connotatio, virtualiter ab alia distinguitur, ratione diversi termini extrinseci, in obliquo importati, hinc fit unam ideam, non posse de alia prædicari. Sicut licet possit dici, quòd justitia in Deo est misericordia; non tamen quòd attributum misericordiae, sit attributum justitiæ. Quia quando additur, *tributum*, nominatur perfectio Dei, non absolute ut est in seipsa, sed ut cognoscibilis à nobis, & ut terminat conceptum aliquem in actu quatum nostri intellectus.

Pro cuius majori evidentiâ recolenda sunt etiam, quæ in Tractatu de attributis diximus, agendo de distinctione attributorum: distinctionem scilicet rationis, duobus modis posse importari in aliquo prædicato, implicitè scilicet, & per modum pure conditionis; & explicitè, ac per modum consignificati: verbi gratiâ in hac propositione, *homo est animal*, distinctio rationis, quæ est inter gradum sensitivum & intellectivum in homine, & secunda intentio genericitatis, quæ afficitur ratio animalis, involvitur solùm implicitè, & per modum conditionis ad prædicationem requiritur. Quando verò dicitur, *animal est genus*, tunc intentio genericitatis, & distinctio rationis à gradu differentiali, importatur explicitè, & per modum consignificati. Quando ergo distinctio rationis importatur in aliquo prædicato, hoc secundo modo, & per modum consignificati (ut importatur in his nominibus, *idea, attributum, species, genus, &c.*) tunc unum non potest de alio enunciarî, quamvis realiter identificentur, nec dici quòd species verbi gratiâ sit genus, quòd attributum justitiæ, sit attributum misericordiae, & quòd idea hominis, sit idea equi.

Tertio arguitur contra tertiam conclusionem, ex autoritate Divi Thomæ, qui clarè & expressè videtur docere, respectus ideales quibus ideae multiplicentur in mente divina, actu formari, & causari ab intellectu divino. Nam hic art. 2. ad 2. dicit, *illos respectus esse causatos ab intellectu divino, comparante essentiam suam ad res.* & in responsione ad 3. ait, *hos respectus esse intellectum à Deo*. Idem autem in eis est causari, quòd intelligi, cum totum esse entis rationis, sit obiectum intellectui, & ab eo cognosci. Idem docet quæst. 3. de veritate art. 2. ad 8. ubi etiam dicit, quòd *illos respectus sunt in Deo, ut intellecti ab ipso*.

Respondeo quòd quando D. Thomas dicit illos respectus causari ab intellectu divino, per ly *causari*, idem intelligit quòd fundari: sive ab illo causari fundamentaliter: in quantum cognoscendo suam essentiam, ut imitabilem à creaturis præbet fundamentum proximum intellectui nostro, fingendi relationem rationis in ipsa divina essentia, in ordine ad creaturas: non autem in-

rendit, huiusmodi respectus causari formaliter ab intellectu divino, apprehendente in sua essentia omnino absoluta aliquem respectum rationis: hoc enim, ut ostendimus, importat aliquam imperfectionem in cognoscendo, Deo repugnans perfectionem in cognoscendo, Deo, solum intendit eos esse intellectos à Deo, solum intendit eos esse intellectos fundametaliter, & quatenus cognoscit imitabilitatem suae essentiae, quae, ut diximus, praebet intellectui nostro fundamentum fingendi in Deo relationem rationis ad creaturas.

non autem formaliter concipiendo talem imitabilitatem ad instar relationis. Unde loco citato venit in resp. ad 9. sic ait: *Quamvis respectus intellectus à Deo, sint multi, in quibus pluralitas idem consistit: quia tamen illos omnes per se ipsam intelligit, intellectus eius non est unus, sed unus.* Quibus verbis docet quod respectus non cognoscuntur à Deo ad instar relationis, sed per essentiam suam, quam cognoscit ac imitabilem à creaturis. Vel etiam dici potest, huiusmodi respectus esse intellectos à Deo speculative, & mediate in quantum cognoscit illos esse formatos, vel formabiles ab intellectu creato, vel creabili quod non sufficit ad formationem entis rationis, quia ex tali cognitione speculativa, & mediata, ens rationis non accipit illud esse fictum & diminutum, in quo consistit eius essentia, sed extrinsecam tantum denominationem cogniti & intellecti, eo modo, quo entia realia, quando ab intellectu cognoscuntur. Utenim supra ostendimus, ad formationem entis rationis, requiritur quod denominetur cognitum, denominatione cognitionis factae, seu fingendo: id est apprehendendo per modum entis, id quod secundum se non est ens, & quasi veliendo obiectum aliquam entitatem quam non habet. Ad quod non requiritur quidem quod intellectus iudicet ens rationis esse ens reale (hoc enim iudicium falsum est, & erroneum) sed quod apprehendat ad instar formae vel relationis, illud quod non est forma, nec relatio: & hoc non est falsum, quia non est iudicium, sed apprehensio; dicit tamen imperfectionem, quia non attingit obiectum sicuti est, sed ad instar, & ad modum alterius, ac proinde Deo repugnat.

Dices, Non potest cognosci divina essentia, ut imitabilis à creaturis, nisi cognoscatur ut ordinata & relata ad creaturas: quia tamen imitabilitas non est aliquid absolutum, sed respectivum, & dicens ordinem ad creaturas imitantes, & participantem divinam perfectionem: Ergo Deus cognoscendo suam essentiam, ut imitabilem à creaturis, eam cognoscit cum aliquo ordine, & respectu ad creaturas, & sic format aliquem respectum rationis, apprehendendo ad modum respectivi, id quod in se est omnino absolutum & independentens ab omni respectu.

Respondeo negando Antecedens: licet enim imitabilitas divinae essentiae non possit à nobis concipi, nisi cum aliquo ordine & respectu ad creaturas, & nisi fingendo in essentia divina omnino absoluta, aliquem respectum rationis ad illam: à Deo tamen potest cognosci, sine tali ordine & respectu, per modum scilicet summæ eminentiae, & cognoscendo ipsas creaturas, ut subiectas imitabilitati suae essentiae, & ab ea dependentes, & participatas. Ad quod non requiritur, quod Deus cognoscatur suam essentiam, ut relatam & ordinatam ad creaturas; sed potius quod ordinat & referat creaturas ad suam essentiam, red-

endo illas imitantes, & participantem suam perfectionem. Quod explicari potest exemplo maternitatis Beatissimae Virginis, supra relato: ut enim Deus cognoscatur Beatam Virginem esse matrem Christi, non oportet quod ad eam referat personam Verbi Divini, sed potius quod B. Virginem ordinet, & referat ad ipsum Verbum, supplens vices substantiae creatae in humanitate Christi.

ARTICULUS III.

Quarum rerum Deus habeat propriam ideam?

Multa sunt de quibus dubitari solet, utrum Deus habeat propriam illorum ideam: scilicet Persona Filii & Spiritus Sancti, quae per generationem, & spirationem, producuntur. Res pure possibiles, & quae nullum dicunt ordinem ad existentiam; mala, privationes, & peccata, quae non cognoscuntur nisi ratione formae, quam privant: materia prima, quae cum ex se sit expers omnis actualitatis, & careat formam informantem, videtur etiam careere omni formam ideante: formae rerum corruptibilium, proprietates quae inseparabiliter comitantur subjectum, & accidentia, quae illi superveniunt denique potest esse difficultas de singularibus, quae cum per accidentis tantum à natura intenduntur, propriam non videntur habere ideam in mente divina. Has omnes difficultates breviter hic discutiemus, & resolvemus. Unde

Dico primo, divina essentia non est idea Filii, aut Spiritus Sancti, nec Filius habet ideam in intellectu Patris aeterni, nec Spiritus Sanctus in intellectu Patris & Filii.

Ratio est, quia idea habet rationem causae exemplaris respectu ideati: Sed divina essentia non est causa Filii, aut Spiritus Sancti: Ergo non habet rationem ideae, in generatione Filii, & processione Spiritus Sancti.

Praeterea, idea est forma ad quam respiciens artifex operatur: Sed Pater non est artifex in generatione Filii, neque habet modum artificis; quia non est causa eius, sed principium, & idem dicendum est de Spiritu Sancto: Ergo Pater non habet ideam in generatione Filii, nec Pater & Filius in productione Spiritus Sancti.

Item idea est forma determinans agens quod operatur ex intentione finis, ut constat ex eius definitione supra exposita, & ex Dionysio, qui vocat ideas, praedefinitiones. Sed Deus ad intra agit ex necessitate naturae, & non liberè, nec ex intentione alicuius finis: Ergo non habet ideam in generatione Filii, aut productione Spiritus Sancti.

Dico secundo, Deus habet ideas rerum pure possibilem, quae tamen non sunt practicae, nisi virtualiter, & in potentia Ita D. Thomas quae est. 2. de verit. art. 6. ubi inquit, *Idea respicit practicae cognitionem, non solum habitu, sed actu unde cum Deus de his, quae facere potest, quovis nunquam sint facta, habeat cognitionem virtualiter practicae, relinquitur quod idea possit esse eius quod nec est, nec fuit, nec erit: non tamen eo modo sicuti est eorum quae sunt, vel erunt, vel fuerunt. Quia ad ea quae sunt, vel erunt, vel fuerunt producenda, determinatur ex proposito divina voluntatis, non autem ad ea, quae nec sunt, nec erunt, vel fuerunt; & sic huiusmodi habet quodammodo*

indeterminatas ideas. Quibus verbis, non solum explicata, sed etiam probata manet conclusio. Deus enim non solum cognoscit, ea quæ fecit, aut facturus est, sed etiam ea quæ potest facere, & modum artificiosum, quo potest ea formare: Ergo format ideam de illis. Patet Consequentia: quia idea non est aliud quam forma per intellectu expressa, & formata, ut ad eius instar aliquid fieri possit, & representans modum quò fieri potest. Sicut ergo artifex creatus, potest veram ideam formare non solum de re quam facit, aut facturus est, sed etiam de illa quam potest facere, licet nolit ita Deus habere ideam, non solum existentium, aut futurorum, sed etiam mere possibilium: licet istorum, cum non sint applicata à voluntate divina ad agendum, non sint practica, nisi virtualiter, & in potentia, ut enim docet idem Sanctus Doctor quæst. 6. de veritate art. 6. idea determinatur ad agendum, ex proposito, seu decreto divinæ voluntatis.

68 Hinc facile intelliges, & conciliabis id quod docet hic art. 3. ubi in idea duplex officium distinguit, scilicet quod sit principium productionis, & quod sit ratio cognitionis. Primo modo (inquit) dicitur exemplar, secundo modo, ratio cognoscendi, potestque ad scientiam speculativam pertinere. Additque, quod primo respicit idea ea omnia quæ secundum aliquod tempus sunt: secundo autem modo respicit etiam ea quæ nullo tempore sunt. Quibus verbis videtur negare exemplar, seu ideam, respectu purè possibilium. Verum S. Doctor solum intendit excludere ideam possibilium, quæ sit formaliter, & in actu secundo practica, quia ea quæ sunt purè possibilia, non supponunt propositum, seu decretum divinæ voluntatis, per quod ideæ determinantur, & applicentur ad operandum. Non tamen negat, respectu possibilium, ideam virtualiter tantum & in potentia practicam.

69 Dico tertio: Materia prima non habet in Deo ideam sibi propriam, & distinctam ab idea formæ, & totius compositi.

Ratio est, quia Deus non habet propriam ideam, nisi respectu eorum, quæ sunt per se factibilia: materia autem prima, cum non habeat propriam existentiam, ut dicit S. Thomas hic art. 2. in resp. ad 3. & docent nostri Thomista in Philosophia; non habet etiam proprium fieri, nec potest terminare propriam actionem: Unde D. Augustinus dicit, materiam in umbra formæ esse creatam, & D. Thomas loco jam citato, sine forma (inquit) habet quidem materia ideam in Deo, non tamen aliam ab idea compositi: nam materia secundum se, neque esse habet neque cognoscibilis est. Unde quando quæst. 3. de veritate art. 5. dicit, quod si largè accipimus ideam, pro similitudine, vel ratione, nihil prohibet materia prima etiam secundum se ideam esse. Per se secundum se, non intelligit ipsam materiam entitatem, ut præcindit ab ordine ad formam; sed ut à forma distinguitur, & includit ordinem ad illam: sub qua ratione, materia habet propriam rationem, & cognoscibilitatem, distinctam à ratione, & cognoscibilitate formæ; licet ab ea dependentem, & includentem ordinem, & habitudinem ad illam. Quare immerito dicit Cajetanus. D. Thomas hic retractasse quod in quæstionibus disputatis docuerat.

70 Dico quarto, Deus non habet ideam mali, peccati, & privationum. Ita D. Thomas hic art. 3. ad 1. ubi ait, Malum non habet in Deo

ideam, neque secundum quod idea est exemplar, neque secundum quod est ratio &c. De quo etiam videri potest quæst. 3. de veritate art. 4.

Ratio etiã id suadet Deus enim non habet ideam, nisi eorum quæ pertinent ad eius artem, vel scientiam practicam; & quæ sunt ab illo factibilia, & per se cognoscibilia. Sed mala, privationes, & peccata, non pertinent ad scientiam Dei practica, vel ad eius artem, neque sunt per se cognoscibilia, sed tantum ratione formæ quæ privant: Ergo Deus non habet ideam mali, peccati, & privationum.

Dico quinto: Deus non habet propriam ideam formarum corruptibilium. Ita D. Thomas quæst. 3. de veritate art. 5. his verbis *Idea proprie dicta respicit rem secundum quod est producibilis in esse; materia autem non potest exire in esse sine forma, nec è converso: unde propria idea non respondet materię tantum, nec formæ tantum, sed compositi toti respondet una idea, quæ est factiva totius, & quantum ad formam, & quantum ad materiam.* Quibus verbis docuit, & probavit nostram conclusionem, quæ confirmari potest, ex eo quod art. 5. per ideam, & formam domus potest & totam domum, & quamlibet partem foris efficere: Ergo & Deus per ideam, & formam totius compositi, illud, & omnes eius partes formare. Ex quo sequitur, quod Deus non habeat propriam, & distinctam ideam proprietatum: quia illæ inseparabiliter comitantur subjectum, & simul fiunt cum eo, ac resultant per eandem actionem, qua producit essentia. Ita Sanctus Thomas hic art. 3. ad 4. Quantum verò ad accidentia quæ superveniunt subjecto, ibidem docet specialem ideam habere: *Artifex enim (inquit) per formam domus, facit omnia accidentia, quæ à principio concomitantur domui, sed ea quæ superveniunt domui iam facte, ut parietes, vel aliquid aliud, facit per aliquam aliam formam.*

Dico ultimo, Non solum species rerum creaturarum, sed etiam omnia singularia, habere propriam in Deo ideam. Est contra Platonem, qui ut refert S. Thomas, loco ultimo citato, dicebat singularia non habere aliam ideam, quam ideam speciei: eo quod intentio naturæ consistat in speciebus, nec particularia producat, nisi ut in eis species salventur; & quia illa etiam mutabilia, & corruptibilia sunt: *Fluunt enim hæc (inquit ille apud Senecam) & assidue diminutione, atque adiectione sunt. Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit juvenis, Nemo est mane qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur, summum more. Quidquid vides currit cum tempore. Nihil ex eis quæ videmus manet, Ego ipse, dum loquor mutari ista, mutatus sum.* Oppositum tamen docet S. Doctor loco citato: quia providentia divina, non solum se extendit ad species, sed etiam ad singularia. Adde quod, Deus habet propriam ideam eorum quæ sunt per se producibilia: singularia autem, cum per se subsistant, & existant, per se producuntur; eius enim est fieri, cuius esse: è contra verò species, cum non subsistant, nec existant, nisi in individuis, non producuntur per se, sed tantum ratione singularium.

Quæres ad complementum huius disputationis, quænam sit propria causalitas ideæ seu exemplaris?

Respondeo propriam ideæ causalitatem, non esse effectivam, aut finalem, sed formalem extrinsecam.

Probatur ex definitione ideæ supra exposita. **A** Idea est forma, quam aliquid imitatur, vel ad quam respiciens artifex operatur: Ergo propria causalitas ideæ, erit ex passiva sui imitatione, cōmunicacionem constituit totum compositum, & illud determinat ad certam speciem; ita etiam propria causalitas ideæ, erit formalis, non quidem intrinseca, sed extrinseca: in quantum ut obiecta menti artificis, & per passivam sui imitationem determinat agens ad producendum effectum talis speciei. Licet etiam ex consuetudine, & minus principaliter, habeat quodammodo rationem causæ efficientis; quatenus artifex opera-

tur per illam, tanquam per formam intellectua-
lem; & etiam finalis, in quantum bonitas & perfectio exemplaris, per intellectum artificis apprehensa, movet ipsum, ad hoc, ut formet artefactum illi simile.

Hæc accipe (studiose Lector) & aquas divinæ sapientiæ, quas ex purissimis ac limpidissimis utriusque S. Doctoris, Augustini & Thomæ, fontibus, tibi largè in hoc Tractatu propinavimus, paululū degusta; donec in sequentibus, celeberris huius temporis controversias, quæ tantâ animi contentione agitantur, juxta illorum Sanctorum Doctorum mentem, resolvamus: hos enim gratia suos elegit præcōes, seu Christus suæ gratiæ fidelissimos interpretes, & clarissimas tubas, quarum sonus in omnē terrarū orbem exivit.

TRACTATUS QUARTUS DE VOLUNTATE DEI,

eiusque Providentiæ.

Ad quæstionem 19. Divi Thomæ, & tres sequentes.

P R A E F A T I O.

DROSEQUI MVR hac tractatione de Divina Voluntate gravissimas Theologiæ difficultates, quibus adhuc Schola perstrepunt, & gravi interdum vulnere charitas læditur, quarum superiori Tomo, & Dissertationibus de scientia Dei, fundamenta jecimus. Præter cætera Schola nostræ placita, quibus forsitan ex nostris commentariis nonnihil lucis accedet, D. Augustini & S. Thomæ vindicias contra Molinam & Iansenium suscipio, quibuscum nihil nobis commune esse, sed ab utriusque æquo spatio recedere, ita compertum facio & certis argumentis demonstro, ut planè nihil dubius asser verim, eos qui Molinæ Antesignani vexilla sequuntur, etsi ab iis, Iansenius ultima quæque passus fuerit, propius tamen à Iansenio abesse. Atque ut hic etiam specimen aliquod eorum quæ fusiis & majori otio infrâ pertractantur, nemo est nisi rerum Theologicarum rudis, & qui non ultra videat quàm habeat oculos, & cum Tertulliano loquar, qui eas omnes disceptationes quæ fervent, dubitet ab uno principio deduci, quod Schola omnis Theologiarum summâ consensione pernegat, cæteris nedum probatur, sed maximum etiam præsidium est, quo sese in tuto positos esse arbitratur. Hoc unum omnibus principum commune est, Gratiam per se efficacem libertatis indifferentiæ exitialem esse, nec posse nisi alterius temperamento aut jacturâ conciliari. Hinc Molina & Iansenius in diversas & oppositas ad eodē sententias abierunt, ut illud usurpare possint: Si ad sinistram ieris ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Alteri enim visum est, gratiæ vim extenuendam esse & temperandam, ne libertatem, ut ita dixerim, frangeret, quam pene vitream facit, adeo vis omnis impatiens putat. Alteri contra visum est, laxandam & veluti dilandam libertatem in spontaneitatem, ut vim omnem gratiæ, quanta sit, ferat. Verùm suis solum consecutionibus, infinitis penè intervallis separantur, sed eodem principio juncti sunt. Quid verò eorum commune cum Thomistis? planè nihil, & consecutionibus Thom. I.

AAa ij

bus